Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25958
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uidelicet sancta ecclesiam quam redemit. quam ad custodiendam suscepit. paterna sollicitudine adhuc contradicit murmurat. Super custodiam meam ego sum stans inquit per diem. et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. Ac si diceret. Licet in assumpta humanitatis meae forma. super ecclesias ecclesiarum dignitate eleuatus. et ad dexteram coeternum patris coeternus filius collocatus. nequaquam tamen obliuiscor nec obliuiscendo ualeo custodiae meae. ecclesiae meae. quam custodire debeo. stans super eam totis noctibus. hoc est in omnibus aduersitatibus angustiis ac tribulationibus. semper et ubique indeficientibus misericordiarum mearum sustentando eam solationibus. Premissis et pignatis incarnationis. passionis. resurrectionis et ascensionis christi sacramentis. qualis. quam districtus iudex quandoque redeat. se quentibus mox uerbis. prophetam pnuntiat. Ecce inquit iste uenit ascensor alius uir biga equitum. et respondit et dixit. Cecidit ecce cecidit babylon. et omnia sculptilia deae eius contrita sunt in terra. Ecce inquit iste qui clamauit in morte. qui leo factus est in resurrectione. qui ascensor alius. idem potentia diuinitatis suae. siue alius. idem ministerio sedis angelicae. super astra eleuatus cum patre et spiritu sancto regnat in ecclesia. Ecce iste uenit uir biga equitum. hoc est uerus deus et uerus homo. uenit quidem uir. hoc est in eadem humanitate qua uir erat. qua homo iudicatus est ab hominibus. omne genus hominum iudicaturus. Et bene quidem uerbis prophetae uerba angelica congruunt. qui ascendente eodem domino nostro astantes ab discipulis dixerunt. Hic ille qui assumptus est a uobis in celum. sic uenet quemadmodum uidistis eum euntem in celum. Hoc pertrandum quod dicit uir biga equitum. Duo quidem genera equitum sunt. habet enim deus omnipotens equites suos in hoc mundo. omnes uidelicet electos suos. quibus ipse sedet. quibus dominatur. habet et diabolus equites suos. uniuersos iniquos. quibus ipse sedet. in quibus regnat. quibus principatur. Venet quandoque dominus uir biga equitum.